EX INVESTIGATA DICEPTATIONE

VTRVM, PROPTER PROMOTIONEM D. D. IOSEPHI Guaxardo ad Auditoriatum Sacræ Rotæ, vacet; nec ne Canonicatus Doctoralis, quo in Sacra Turiasonensi fruebatur Ecclesia: possit que Illustrissimum eius Capitulum de illo convocatione per Edicta facta, idoneo viro Canonicè providere.

CRINOMENON IVRIDICVM

D. D. MICHAELIS MARTA, GOMEZ DE MENDOZA, Archi-Diaconi, & Canonici eiusdem Ecclesiæ, ipsius que Diœcesis Synodalis Iudicis, & Hierosolimytanæ Religionis Conseruatoris, & pro Illustris. D. D. Didaco Antonio Frances de Vrritigoiti, in Spiritualibus, & Temporalibus Bilbilitanæ Vrbis, eiusdem que Archidiaconatus Officialis Ecclesiastici, Visitatoris, & Vicarij Generalis,

QVOD

ILLVSTRISSIMÆ SVÆ ECCLESIÆ RETVLIT, ET expressit. X. Kalend. Martij. Anni M.DC.LXX.IX.

IVDICIVM, super propositâ quæstione, ex meo munere, grauissimo que Dominationis vestræ Iussu, scripto laturus: Illud verè ante omnia profiteor, me in dicenda sententiâ, omni contentione, æmulatione, gratiâ, priuato que commodo sepositis, æquitatem imprimis spectare, deinde Ecclesiæ nostræ, tum dignitatem, tum vtilitatem: Cui, vt dignissimæ, sanctissimæ que Parenti consulere, & inseruire debere nos omnes, vt tutelares filios, quis animo non cernit? aut æquus rerum æstimator non videt?

Sed vt causam, prældij abscisis ingrediar; duo in hac nostra disceptatione pronuntio. Primum; Canonicatum Doctoralem naturâ sua cum Auditoriatu pugnare, & incompatibilem esse: Eo que propter translationem necessario vacare, quin ea quæ pro Doctorali allegantur, vel minimo sint impedimento. Alterum, non vacare modò, sed vacasse iam dudum, debere que Capitulum de illo idoneo viro Canonicè providere, quin integrum illi sit iure aliquo ad huiusmodi provisionem non procedere. Quæ duo tametsi breviter nisi fallor, efficaciter ostendam.

Et quidem Doctoralem Canonicatum naturâ suâ cum Auditoriatu incompossibilem esse, Oracula Summorum Pontificum ex Tripode proferunt, & ex primæua illius erectione omnibus demonstratur; Nam cum naturâ suâ institutum fuisset, vt in Ecclesiarum Capitulis extaret aliquis *Cuius consilio & auxilio Iura tueri, & bona occupata recuperari, & alia negotia vtiliter, & salubriter dirigi valerent* (1) frustra si alienis negocijs distentus esse potuisset, ad Aduocatiam Cathedralis alligeretur, *vt singulæ Orbis Ecclesiæ, præsertim Cathedrales, personarum vtilium fulcitæ præsidijs, ad Altissimi laudem, & gloriam condignis honoribus, & venustatis proficerent incrementis, earum que bona, & iura à quacunque occupatione conseruarentur illæsa*, veluti Nomotheta Sixtus suæ Constitutionis placito felicitauit. (2) Vnde optimo colligitur Iure Canonicum Doctoralem perpetuum esse causarum Patronum, & Ecclesiæ Nomophylacem, vt suæ directionis auspicio, ancipites, & ambiguos causarum exitus properarentur. (3) Qua propter personalem residentiam adeo dedititiam, & indispensabilem exigit Leo, vt omnem illi adimens facultatê substituendi sibi Vicarium, ex Motu propio, prope finem dicat. (4) *Derogamus nec non qui-*

(1) Verba sũt Leonis X. in Constitutione *In suprema* transcripta à Nicolao Garcia *in trac. de Benefic. part. 5. cap. 4 sub. num. 169.*

(2) Sixtus IV in Constitutione *Creditam*, transcripta à Nicolao Garcia *dic. part. cap. 4 num. 169.*

(3) Verba sũt Leonis X. ex motu propio *Cum dudum*, transcrip. à Garcia *vbi proxime.*

(4) Leo X pro

buſ-

busvis Accessibus, & Regressibus; ac Coadiutoriarum deputationibus, & alijs concessionibus, Dequibus paulo post, *Cassamus*, subiungit, *& reuocams, anullamus, & nullius roboris, vel momenti fore decernimus.* Quod idem in Constitutione sua *In suprema*, prope finem repetit, & inculcat. Præterea, residentiam istam personalem adeo strictè, grauiter, seuere que indicit, & præcipit, tam illi, quam alijs similiter affectas Dignitates possidentibus, vt non nisi vnum absentiæ Mensem sub pœna privationis denunciet cuius gravissima verba sic clamitant, & insequuntur (5) *Et illi, quibus de Canonicatibus, & Præbendis huiusmodi pro tempore prouisum foret, in eisdem Ecclesijs personaliter residere teneantur, & si absque Ordinarij, vel Capituli licentia vltra Mensẽ abesse præsumerent, eo ipso collatis Canonicatu, & Præbenda huiusmodi privati, & perpetuo ad illos inhabiles existant.* Ex quibus facilè Doctus quisque intelliget residentiam Canonicatus Doctoralis Ligiam esse, ipsum que Canonicum Ecclesiæ suæ Assissiũ quemdam, & Mansionarium: Quibus omnibus introinspectis sic paucis ratiocinationem conficio. Canonicus Doctoralis ex Institutione sua perpetuus est Ecclesiæ Advocatus, & personaliter residere tenetur sine vlla subrogandi sibi Vicariũ aliquẽ facultate: Adeo vt ad summũ mẽsem vnũ ab Ecclesia possit abesse. At qui Sacræ Rotæ Auditor tercentum, & amplius leucarum interualo ab Ecclesia divisus, totius Orbis negotijs immersus, perpetuo que absens, munera, & onera ista supportare non potest. Ergo Canonicatus Doctoralis natur â suâ cum Sacræ Rotæ Auditoriatu incompatibilis est, necessario que vacat Doctorali Canonico in Auditorem assumpto. Quæ omnia adeo clara sunt, vt intentum non probent, aut suadeant, sed evincant, aut demostrent., vt ex vlteriori rationis luce collustrare haud gravabor.

Per decreta (6) Honorij, & Alexandri pariter III. licet Episcopis, duos ex Canonicis in Episcopatus regimine ita occupare, vt Canonici ipsi seruientes, præbendarum suarum fructus sine residentia in Ecclesia acquirant, & percipiant. At Paulus V. per suam constitutionem *Ecclesiæ*, (7) & per suam Gregorius XV. *Alias a fœlici.* Canonicum Doctoralem, sicut, & Magistralem, Lectoralem, & Pœnitentiarium, domesticis his nogotijs ab Episcopo implicari prohibuerunt. Scilicet quia â munere, & natura ipsorum aliena existimarunt. Qui ergo fieri poterit vt immensa negotiorum Moles, disiunctissimis in terrarum spatijs, in Auditorem incumbens, â Canonicatus Doctoralis natura non sit aliena, & cum ipsa modo aliquo maritetur?

Rursus Eugenius IV. (8) publicis Academijs indulsit, vt qui earum Cathedras moderarentur, redditus, & proventus omnium, & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium, & regularium cum cura, & sine ea, quæ in Ecclesijs quibusvis obtinerent, libere percipere valerent & ad residendum in eisdem minime tenerentur, neque ad id â quoquam compellerentur inuiti. Hoc indultum, vt sæpe declaratum est, nihil ad nos, cum non, ad Canonicos ratione suarum præbendarum personalem residentiam Ecclesijs suis præstare debentibus extendatur, ideoque ad Doctoralem vt pote constitutioni ipsarum, Ecclesiarum que suarum commodis obstans atque repugnans. Quid iamde Auditoriatu sentire par erit?

Tertio. Innocentius VIII. (9.) hæc habet: *Quoties per nos aliquem ex ipsis Auditoribus ad aliquam Ecclesiam promoveri, seu iam promotum transferri contigerit, officium Auditoriatus huiusmodi, quod sic promotus vel translatus tunc obtinebit, per provisionẽ, præfectionẽ, seu translationẽ prædictas vacet; ac vacasse, & vacare cẽseatur ipso iure.* Ex quibus in hunc modum differo. Ex omnibus prælaturis nulla striciorem secum affert residenciam quam Canonicatus Doctoralis: Siquidem Episcopis, & Parochis tres menses a suis Ecclesijs ab esse licet; Canonico autem Doctorali mensem dumtaxat vnum. Illæ residentiæ ratione pugnant cum Auditoriatu, ita vt per assumptionem Auditoris ad illas perpetuo vacet. Igitur multo magis cum Canonicatu Doctorali Auditoriatus pugnabit, cum per translationem Canonici amplius incompatibilis remaneat effectus.

Ast iure tuo, aureis quidem Clementis VII. Verbis (10) creditus inquies. Hic Auditoribus Sacræ Rotæ concessit, vt, citra residentiæ onus, beneficijs Ecclesiasticis, atque adeo Canonicatibus fruerentur. Ita verum. Cæterum ad rem nostram nihil facit ea concessio. Tum, quia alia privilegia per alia declarantur, antiquiora maxime per posteriora: Ita vt illa intelligenda sint quatenus his minimum derogare videantur. Cum ergo Clemẽtinum hoc privilegium satis vim suam obtineat circa beneficia residentiæ onere non affecta, ad affecta eo onere non est cur extendatur. Tum quia per posterius privilegium, quo ex decretis Tridentini gaudent Ecclesiæ super Canonicorum, de quibus loquimur residentia; prius illud privilegium, prout ad hoc spectat punctum revocatum est. Tum quia vt odiosum hoc nomine, non trutina quadam, sed statera fideli pensandum est, & censendum solum comprehendere Canonicatus eo tempore statutos, liberos scilicet, non Doctorales, & id genus alios non liberos, tunc temporis haud institutos. Tum quia Clemens VIII. decrevit (11.) Canonicos Doctorales, aut Pœnitenciarios, neque in curia Romana neque in alia posse procuratorum munus exercere. Nam permittens reliquis Canonicis, & Dignitatibus simile munus obire; addit: *Dummodo tamen dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam*

Me-

pe finem ipsi motuspropij.

(5) Ex Constitutione, & Motu propio, supraallegato

(6) Honorius *in cap. cũ dilectus 14. & sequen. de cleric. nõresiden.* Alexander *in cap. de cætero 7. eod.*

(7) Refert. Pauli, & Gregorij Cõstitutiones, *Illus. Dom Don Didacus Antonius Frances de Vritigoiti* Quid vltra? *in suo Pastor Intern. part. 3 vot. 11. n. 24.*

(8) Transcribitur Constitutio Eugenij IV. à Didaco Perez *in l. 8. tit. 2. lib. 2. Ordinamen. &* â Nicolao Garcia *part. 3 cap. 2. num.*

(9) Innocentius VIII. *Cõstit. Circunspectã. §. 1.*

(10) Clemens VII. *in Cõstit. Conuenit. §. 6.*

(11) In Bulla quæ incipit *Nos Igitur* apud Quintana Dueñas *part. 2. ad Eccles. cẽsur. trac. 11. singular. 3. n. 1. & singul. 4 num. 6.*

Metropolitanis Ecclesijs actu post Pontificalem maiores non sint, ac Canonicatus, & præbendæ huiusmodi Doctorales, aut Pænitenciarū, seu de lectura minime nuncupentur, quos pro tempore obtinentes in similibus procuratores deputari nolumus. Tum denique quia licet familiares, & servientes Summo Pontifici, privilegio fructus suarum præbendarum in absentia, gaudeant perci-piendi, Eo tamen privilegio non gaudent Episcopi, & cæteri curam animarum exercentes, etiam maioribus officijs boni publici, & Sedis Apostolicæ distenti, puta, Camerarij Curiæ Romanæ, Summi Pœnitentiarij, Auditores Rotæ, vel â Secretis, seu Confessionibus Papæ: eo scilicet quod sint alij qui hæc munera obire possint. Ergo tantumdem in nostro casu. (12.)

Neque vero maioris sunt ponderis reliqua D. Guaxardi momenta, quibus retinere se posse Canonicatum enixe conatur, nempè, Apostolicas constitutiones; privantes Præbenda sua Doctoralem Canonicum vltra mensem sine facultate absentem, intelligendas esse, de absentia, voluntaria, non autem de involuntaria, qualem esse suam persuadere nititur. Se munus obire in Summi Pontificis, Catholicæ que Maiestatis obsequium, & commune totius Ecclesiæ bonum. Tandem Illustrissimum Salmaticensis Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, D. D. Martinum de Bonilla, Doctoralem ipsius Canonicum, â Rege Catholico in Regiam Granatensem Cancellariam evectum, ob privata eiusdem Ecclesiæ commoda, in sua Præbenda conservasse: Et quidem ipsius opera spectare posse Turiasonensem Ecclesiam felicem Romæ suarum litium expeditionem in Bilbilitana causa.

(12) *In cap. cum dilectus* 14 *iuncto* Barbosa *in collecta. num.* 2. *de cleric, non residen.* & Illus. Dom. Episcop. Tirasone nunquam satis pro dignitate laudatus, *In suo Pastoral. dic part* 3. *vot.* 12 *num.* 64.

Neque validioribus hoc idem inculcat rationibus. Vnde enim quæso interpretationem illam, distinctionem que absentiæ voluntariæ, & involuntariæ accepit? Summi Pontifices personalem omnino exigunt Doctoralis Canonici residentiam, vt Ecclesiæ suæ providere, & consulere possit. Et in hunc sensum tam involuntariam, quam voluntariam absentiam prohiberi oportuit, cum vtraque æque eius consecutioni repugnet. Sensum istum exprimunt Leonis X. in suo motu citato verba super horum Canonicatuum provisione, scilicet: *Deberent de illis sic vacantibus alijs graduatis, qui vellent, & valerent in ipsis Ecclesijs residere iuxta literarum tenorem provideri.* Per quæ, & voluntatem, & potentiam residendi in Canonico Doctorali desiderat: quis autem non videt, & per absentiam involuntariam, potentiam residendi penitus tolli? Sed loquantur Summi Pontifices de absentia voluntaria. An non volentissimus ab Ecclesia nostra abest D. Guaxardus? Quis ipsi tum vt peteret, tum vt admiteret Auditoriatum, vim intulit? Aut præceptum imposuit? Quod autem Auditoriatus Summi Pontificis, Regis Catholici, & Christianæ Reipublicæ vtilitati cedat: ipsi haud favet. Assignantur enim illi cum munere necessarii, congruentes que annui redditus, ad eius onera commodè, honestè que suportanda: tantumque obsequium facere solum potest, vt libera Ecclesiástica beneficia, non autem residentiæ onere afecta, retinere valeat; sicut de alijs Familiaribus, & servientibus Summo Pontifici proxime dictum est. Salmanticense exemplum nihil evincit. Tum, quia vt facultativa gratia sine vlla violatæ iusticiæ specie denegari potest. Tum, quia non in perpetuum, sed in biennium, idque ob manentes in Granatensi curia Salmanticensis Ecclesiæ lites, facta illi est. Quod vero de Causa Bilbilitana meminit, verba sunt; cum cōstet Ecclesiā nostrā legitime in omnibus tribunalibus obtentā esse. Et iam pridē â capitoliorū exedris recesisse, excludedo vitiligatoribus, in querelis auditum, vel in derogationibus locum. Et hæc de primo mei iudicij Capite.

Alterum, nimirum, Doctoralem Canonicatum vacasse iam dudum, debereque nos de illo, citra omnē Morā, idoneo viro Canonicè providere brevius, sed nō minus vrgentius, absolvā. In primis autem vacasse iam Doctoralem Canonicatum omnino certissimum existimo. Et enim ex Leonis X. oraculo supra relato, vbi Canonicus Doctoralis absque ordinarij, vel capituli licentia, vltra mensem ab Ecclesia abest, eo ipso Canonicatu privatus, & perpetuo ad illum inhabilis existit. D. Guaxardus vltra mensem huiusmodi afuit: id enim, & amplius, temporis, in itinere Romano posuit; & quidem non Auditor factus, sed designatus dumtaxat. Ergo privationis Canonicatus sui pœnam incurrit, eoque ipso Doctoralis Canonicatus vacavit. Deinde ad huiusmodi Canonicatus provisionem debere nos procedere apparet ex verbis Leonis X. in suo Motu propio, is, quæ proxime laudavimus immediatis, nempe: *Possent que, & deberent de illis vacantibus alijs graduatis, qui velent, & valerent in ipsis Ecclesijs residere, iuxta literarum tenorem provideri:* Imo, & ex antecedentibus. Nam cum Summus Pontifex Canonicum Doctoralem, sine præfata licentia vltra mensem absentem eo ipso Canonicatu suo privatum, & ad illum perpetuo inhabilem declaret, Capitulum que nostrum, vt pote Canonico Doctorali destitutum, de huiusmodi Canonicatu, alicui providere debeat necesse est. Præterea cum in Pontificia lege de residentia Canonici Doctoralis Capitulum nostrum non valeat dispensare quo facultatem licitæ absentiæ Doctorali Canonico largiri valeamus, subesse debent iustæ ad absentiam causæ, vrgens nimirum necessitas, aut evidens vtilitas: quarum neutra in nostro casu intercedit. Sine presenti enim lite, qualem nullam Romæ gerit Ecclesia nostra, quæ, rogo, esse potest vrgentia? Quod si lis nulla actu geritur, vbi quæso evidens vtilitas, quæ lucri, aut commodi alicuius præsentiam, & vt ita dicam, actualitatem, desiderat? Nullus ergo suppetit nobis titulus, quare non debere nos ad provisionem Doctoralis Canoni-

noni-

nonicatus procedere consentaneè ad rationem existimamus. Accedit denique ex vna parte gravissimũ Illustrissimarũ Hispaniæ Ecclesiarũ iudiciũ meæ sentẽtiæ convenientissimũ, ex ipsarũ literis Dominationi vestræ manifestũ. Ex alia vero ingẽs, quo timeri iure potest, incommodũ. Nẽpè si Auditor Doctoralẽ Cononicatũ retineat hic q́ vacet, aut per eius obitũ, aut per translationẽ ad superiorẽ aliã dignitatẽ, fieri potest vt Sanctissimus suprema, qua fulget, authoritate vtens, eius sibi provisionẽ pro ea vice arroget, Ecclesia que nostra quã multis annis Doctoralis Canonici præsidio, & auxilio denudetur. Id quod Ecclesiæ Turolensi contigit, eo quia Magistrali Canonicatu vacante, nec iuris sui Senatus integritatem ab ipsa Sede petierit; nec æquissimâ illa, qua vti poterat enuntiatione (â censuris protecta) Apostolicũ privilegiũ, eius patrocinio â Leone X. iure perpetuo devictũ, & quasi indissolubili; executionis in cautionem, adstrictum nodò, defenderit. Aurea hæc sanè illius verba: (13) *Cum nullatenus derogari possit, nec derogatum censeatur, & si derogetur derogationes huiusmodi nemini suffragetur, & ordinarij, & Capitula prædicta literis derogatorijs huiusmodi; & decretis super illis processibus, & illorum executoribus, & sub executoribus, eorumque mandatis, & monitionibus parere minime teneantur, sed eis firmiter resistere, & literarum huiusmodi executionem impedire, nec ratione resistentiæ huiusmodi aliquibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis innodari possint.* Consequens illud est; perpetuis Canonicatibus, pro ipsis sacris Senatibus, permanentibus; adeo ipsius ex decreti vi, elargitionis que adiunctis, ipsis met Ecclesijs Canonicatus ipsos innexos permansisse, vt ineptam quamcumque solutionis gratiam fecisse, eo quod immutabilem observationem residentiæ fecère, videantur. Quod quidem haud ineptis his rationibes stabilitur. Primum quia hæ præbendæ adeo sunt Reipublicæ fructuosæ, vt peculiarem ob immunitatem, se debeant irreuocabiles, contra quodcumque singulare indultum, retinere. *De Ecclesiasticis priuilegijs* (divinum illud Gregorij oraculũ ita fatum.) (14) *Quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat; quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura servamus, nec cuilibet, favente gratia vltra quàm meretur impartimur, nec vlli hoc, quod sui iuris est ambitu simulãte derogamus.* Ratio vero est: quia cũ hoc omnibus suis numeris, Regiæ Maiestatis Catholicæ contentione, totiesque repetitis Ecclesiarum, Provinciarum que Castellæ, & Legionis supplicationibus, perpolitum fuisset, *ob remunerationem servitiorum, Ecclesiæ gestorum*, vt in Constitutionibus ipsius Sixti IV. Leonis que X. patescit, contractus inivère, *qui particulari gratia suberti non valent.* (15) Tum quia sanctissimis ex Romanorum Pontificum decretis intelligi debeat omnia pecularia indulta, sẽper, *Salvo privilegio vnius cuiusque Provinciæ* (16) capi debere. Tum quia *Respublica commotiones, & scandala pateretur, ex quo cum fuissent concessa, ob remunerationem servitiorum, & translata ad efficaciam contractus; ad commensurationem deficerent, si ex particulari, & quasi dolosa gratia revocarentur.* (17) Alterum quia cum ivictissimi Caroli V. Imperatoris operâ, hæ immunitates, ad Hispanicas omnes Episcopales Sedes (eius in protectionis gratiam, Celsitudinis que Catholicæ Ecclesiæ Defensoris causa) extensæ fuissent, irrevocabiles permansère; non solum ob Maiestatis Cæsareæ Clesitudinem, verum etiam ob maximorum eius offitiorũ cõpẽsationẽ. Hoc Iuris vinculis successoribus suis adstrictum, Sacra inter vectigalium tributa, in ævum pertransit. *Institutionis nostræ decreta* (tanquam è tripode Gregorius) (18) *quæ pro Defensorum sunt privilegijs, & ordinatione disposita perpetua & sine aliqua constituimus refragatione servari sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita; Nec à quoquam Pontificum in totum, vel in partes ea qualibet ocasione convelli decrevimus, aut mutari.* His omnibus de caussis censeo Canonicatum Doctoralem cum Sacræ Rotæ Auditoriatu naturâ suâ incompatibilem esse, & tanquam indispensabilem à residentia, vacare debere, imò, & vacasse, Capitulum que nostrum ad eius provisionem illicò procedere debere. Saluo in Q.M.I. Bilbili X. Kalend. Martij. Anno M.DC.LXX.IX.

D. Michael Marta, & Mendoza.

(13) In Constitutione *In Suprema*. quæ ferè repetuntur verba in Motu propio *Cumdudum* toties in Disceptatione allegato.

(14) In *cap.* 8 *Caus.* 25. *quæs.* 2.

(15) *Punctim, & multis* P. Henriquez lib de Pontific. Claue *cap.* 24. Salgado *de Supplic.* 1. *part. cap.* 6. *num* 39

(16) Iux. tex. *in cap. cum longe* 63. *destinc.*

(17.) Illust. Dõ Ioann. de Palafox in *Alleg. pro Decimis. Fundam* 2. & Salgado, *& abeo relati vbi proxime.*

(18) In *cap Institutio his* 7. *caus.* 25. *quæs.* 2.